

possumus, quia in ideâ Dei Deum perfectum intelligimus; fallendi verò voluntas vel malitiam, vel imbecillitatem involvit, quod Dei perfectionem destrueret. Motus mentis seu voluntas eodem modo se habet. Hæc pariter sæpius errandi occasionem præbet. Hæc quia ferè ad omnes res, & omnia cognoscibilia cum appetitu se extendit, ex unò objectò in aliud volitat, & vix permittit, ut attentionem nostram decenter applicare possimus, quò fit, quod in plurimos prolabamur errores; quò fit, quòd novitatis studiò præoccupati novas sententias nondum clarè & distincte conceptas admittamus; quò fit, quod disciplinæ, quarum principia sunt facillima, non decenter excolantur, licet magnum vitæ nostræ afferant commodum. Attamen voluntas in suâ naturâ considerata fallere nescit, ob easdem rationes, quas jam supra attulimus. Hæc ut eò clarius oculis pateant, sequentia sunt observanda. Deus nobis indidit desiderium ad verum in genere cognoscendum, nos cum huic desiderio applicamus, Deus in se ipso rerum ideas adspiciendas intellectui nostro præbet; tandem idem Deus nobis voluntatem concessit, quæ istud, quod clare conceptum, approbat. Non opus esse censeo, ut hæc probentur, cum & Philosophos & Theologos in hoc consentire sciam. Quapropter certo concludimus neque intellectus lumen, nec voluntatem nos fallere, si modò voluntatis iudicium non præcipitare velimus.

§. XXII.

Ex hisce omnibus hactenus allatis sole clarius est, quod supra diximus: *verum veritatis criterium esse clarum & distinctum conceptum.* Vel ut istud aliis eloquamur verbis: Quicquid ut verum in Deò conspeximus, illud etiam extra mentem nostram certissimè verum esse. Ideæ claræ sunt, quæ menti evidentes ac manifestæ sunt; quemadmodum clarè aliquod objectum intueri dicimur, cum istud præsens est, atque nos afficit, ut sentiatur; Pari modo nostro intellectui ea idea clara est, quæ ipsi præsens. Distinctæ ideæ sunt, quæ ita præcisæ & ab omnibus aliis diversæ, ut nihil in se contineant, quod attendenti manifestè non appareat. Concipimus res, vel per se ipsas, v. g. Deum, qui menti nostræ est præsentissimus: vel per ideas in specie sic dictas, uti corpora & eorum proprietates; sic beneficiò ideæ extensionis omnium corporum proprietates concipere possumus: vel

C

per

veritatis
criterium clarum
& distinctum
conceptum